



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Iudaeorum consuetudo pro defunctis deprecandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

iam à Catholicis expetebatur, vt decem millia exemplarium momento distracta fuerint. Postquam vero in Calvinistarum cœtibus cani, & cum Catechismis coniungi cœperunt, eorum vsus Catholicis interdixit, siquidem, vt Consilium Laodicenum vult, cum hæreticis nihil commune esse debet, quod ab ipsis inuentum scilicet & concinnatum est.

DE CALVINISTARVM SEPULTURA.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

- I. Omnium religionum homines pro animabus Deum deprecati sunt, & corpora honesta sepultura affecerunt.
- II. Iudaorum consuetudo pro defunctis deprecandi.
- III. Quam Pagani à Iudæis mutuati sunt.
- IV. Calvinista soli hic barbari sunt.
- V. Defunctorum corpora honeste habenda.
- VI. Sepultura honestas ab ipsa Natura commendatur.
- VII. Impietas Calvinistarum quoad sepulturas.
- VIII. Cur hæretici nunc in Ecclesijs sepeliri cupiant, primitus aspernati.
- IX. Sepultura cura ad Episcopos pertinet.
- X. Calvinistarum querela.

I. **O**Mnes religiones, veræ, falsæ, pro mortuis precandi consuetudinem semper tenuerunt. Immo ipsi quoque Ethnici, sola Naturæ luce illustrati defunctis æternam quietem precabantur, vt scripta eorum legenti constat: adeo vt qui extremum hoc officium præstare eis recusaret, impius haberetur. Vt ergo pie sine religione quædam defungi nemo potest, nec religio sine Deo esse potest; sic laudabilis hæc consuetudo violari non potest quin religio, nec hæc, quin Deus simul violetur.

II. Iudæos hac consuetudine vsos, non modo ex libris ipsorum ritualibus, sed ipsius S. Scripturæ quoque constat exemplis, Iosephum, vide, apud quem funus Davidis regis, Simonis Machabæi, reginæ Helenæ, &c. descriptum exstat. Abrahamus Saram, Iacobus Rachelem, Iacobum tota fa-

milis, Moyses, Aaron septuaginta dies, Aaron populus vniversus integram mensem luxit. In Exodo sacrificia pro mortuis, apud Hieremiam Prophetam exequiæ memorantur. Eiusdem consuetudinis vestigia in libris Iobi & Tobix exstant. Quid multis? Vnum illud ex Machabæorum libris desumptum testimonium satis nobis esse debet: quod multorum scriptis est ventilatum.

III. Hanc consuetudinem Ethnici quoque à Iudæis mutuati sunt natura distante pro defunctis orationem ac curam piam esse existimantes, vt ex multis ipsorum ritibus, de quibus integri libri exstant, & infinitis scriptorum locis patet.

IV. At soli Calvinistæ sine vllis ritibus mortuos suos terræ mandant, aut si ritus quosdam adhibeant ipsi profanifere sunt, & infernum magis quam cœlum sapiunt. Satis esse putant, si dicant: Deus propitijs sit eius animæ. Constat quomodo Genes de ritibus sepulturæ reformandis in Ministroꝝ cœtu ageretur, Bezam respondisse, Papistis occasionem gloriæ di dandam non esse. Eius tamen Epitaphiũ Gabriel Fabricius describit, in quo Venus, Harpyæ, Bellona & Chimæra, præcipuæ Bezae virtutes, conspiciuntur.

V. Vile quidem corpus est, Dei tamen digito formatum, eoque honeste habendum est. An Phidix opus ob materiæ vilitatem cõtemnimus, Corpus vas est animæ à Deo infusæ. Templum Dei est, quod etiam si à morte destruat, in extremo tamen iudicio multo gloriosius excitabitur.

VI. Sepultura honesta Deum ipsum habet auctorem, qui Enochum & Heliam in paradysum transportauit. Iobum Chrysostomus effuse laudat, filios domus ruina oppressos honeste sepelientem. Et honestæ sepulturæ & resurrectionis Phœnicis se ipsum comburentis & renascentis exemplum nos admonet.

VII. Impij sunt Calvinistæ, quibus perinde est quo loco sepeliatur. Non ita Abraham, non Isaac, non Iacob, non Iob, non Ioseph: qui omnes terra loca vbi sepelirentur, sibi elegerunt. Hinc Ecclesia loca eiusmodi sacra atq; inuolata esse voluit quæ etiam exorcismis ac precationibus solenniter consecrantur.

VIII. At Calvinistæ vt nihil sibi tam viuis quam mortuis cum Catholica Ecclesia commune esset, in sacris istis locis sepeliri, ignominiosum initio putarunt: postea vero etiam vi maiorum sepulcra ad suũ vsu sibi vindicarunt. Cur, quæso scilicet,

Y y 2 quia